



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

10. Amphilo hij simplicissimi profunda & audax sapientia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

IESV ei apparente res probabilior est, quàm quòd S. Hieronymo appartierit, non solùm quia epistola illa D. Augustini ad Cyrillum fictitia est; sed quia etiã vetustissima, in Ecclesia, pictura est D. Augustini, cum puero ad littus & pedes illius sedente, atque cochlear tenente, quò mare in effossam scrobem colligit: quidquid nonnulli etiam hanc imaginem sublætæ fidei esse arbitrentur. Quod si ergo historiam esse ponamus, voluit & hunc Doctorem Puer IESVS docere, & voluit vtique sanctus hoc Doctor libenter ab hoc Puerò doceri, tanquam à Sapiencia Patris, magistròque veritatis; qui per veros aut ætate, aut sapientia mundana pueros, complures alios, in humanis oculis grandes instruxit, vt Mundi sapientiam confunderet; doceretque, nullum pusillum, nullum quantumuis simplicem esse contemnendum. Sic exaltatur à Deo humilitas, sic sublimitas humiliatur.

Nicephorus, Sozomenus aliique complures testantur, fuisse Iconij senem quendam Episcopum Amphilochem dictum, antiquæ simplicitatis hominem, qui Theodosium Magnum Imperatorem ausus est adire, eique libellum supplicem dare, quo Theodosius monebatur, vt impios Arianorum conuentus, ex vrbibus proscriberet. Neque enim minùs nocere infectione hæreticos censebat, quàm pestilentia correptos, qui luem, etiam in maximè cautos, propagant. Imperatori durior ea inhumaniorque petitio videbatur, vt qui clementia atq; beneuolentia capiendos Arianos putaret, imprudentemque Episcopi zelum in alia tempora quietiora differendum arbitraretur. Quid ibi fecit sapientissima Amphilocheij simplicitas? quibus machinis porrò quaterere Imperatoris animum institit? Est tempus, cum silendo plus efficimus, quàm loquendo. Igitur quàm sinceram ingenuitate petitionem suam explicauit, tam prudenti patientia repulsam passus tacuit. Existimauerat Imperator homini aquam hæsisse, nec iam argumenta solùm, verùm etiam verba deesse. Erras, erras, ô Imperator, non est stultitiæ signum, posse tacere. Garulorum sermo, vti vilis, ita & excors est. Solus ille verè sapit, qui habet linguam in potestate. *Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est: & preciosi spiritus vir eruditus. Hinc, stultus quoq; si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens.*

Amphilocheius igitur, tanquam elinguatus, abijt; sed silens

In tom. 2.  
D. Augustini  
Appendice  
epist. 17.  
10. Molan.  
de hist SS.  
Imaginũ lib.  
3. cap. 36.

X.  
Nicephor.  
Callist. l. 11.  
hist. Eccles.  
c. 9. Sozom.  
lib. 7. c. 6.  
Theodor. 5  
c. 16. Trip.  
c. 35.

Prou. 17.27

XI.